

Controversia in rheticis ecclesiis an. MDLXX orta de haereticorum poena e documentis authenticis exposita

Autor(en): **T.D.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 16

PDF erstellt am: **17.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394660>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

CONTROVERSIA

In RHETICIS ECCLESIIIS An.
MDLXX. orta

DE

HÆRETICORUM POENA

e Documentis authenticis exposita.

Nuper Clarissimus multæque ac reconditæ Eruditionis Vir præstantissimus, nobisque amicissimus J. G. SCHELHORNIUS, *Ecclesiast. & Bibliothecarius Memmingensis*, in pererudita Disertatione epistolari, quam de *MINO CELSO SENENSI*, non personato vel pseudonymo, sed veri nominis *auctore rarissimæ Disquisitionis, in Hæreticis coërcendis quatenus progredi liceat*, ad Summe Reverendum Virum J. L. à MOSHEIM per-scripta, quum incidisset in eam Quæstionem, quid hunc Senensem permoverit, ut ad Librum contra Hæreticorum supplicia scribendum adjiceret animum, opportune prorsus detexit, acrem tum temporis in Rhætia cum JO. GANTNERO, *Ministro Curiensi*, de isthoc argumento extitisse concertationem, quæ An. MDCLXXI. mense Junio in Synodo Curiaë Rhætorum habita fuerit disceptata; Cumque ipsi ad manus esset universus ille apparatus X. Voluminibus secundæ magnitudinis constans, quem Vir Clariss. J. HENR. OTTIUS, nostras, quondam ad pleniorum Anabaptistarum Historiam conscribendam magno Studio undique

collegerat; ex III. ejus Collectionis Tomo Acta hujus Synodi, quæ quidem ad hanc causam spectabant, una cum *Tobiæ EGLINI ad H. Bullingerum* Epistola, quæ ejus Synodi gesta summam complectitur, e tenebris in lucem protrahere ac Scripto hoc suo repræsentare operæ pretium duxit; Qua in re a Clarissimorum Virorum BARTH. ANHORNII & J. JAC. HOTTINGERI judicio longissime recessit Præstantiss. SCHELHORNIUS; Illi enim cum in conscribenda Helveticarum, Rhæticarumque Ecclesiarum Historia majorem prudentiæ quam fidei rationem habendam esse censerent, maluerunt totam hanc causam, tanquam parum Ecclesiæ profuturam, silentio transmittere, ejusque quantum pote memoriam abolere. Quandoquidem vero Clarissimo SCHELHORNIO visum est hujus causæ & concertationis memoriam refricare, operæ pretium me facturum esse ratus sum, si ex authenticis & fide dignis monumentis hujus Causæ originem atque progressum accuratius exponerem, ut rectius cognoscatur, quales illi fuerint, quove ingenio homines, quos tandem Synodus illa Curiensis tanquam Hæreticos condemnavit, atque Edicto publico ampliss. trium Fœderum Senatus proscripsit; Cujus Edicti rationem Vir Clariss. JOSIAS SIMLERUS in secunda Præfatione ad *Scripta veterum Latina* de una Persona & duabus Naturis in Christo a se edita plenius hunc ad modum exponit; *Sunt quædam regiones in finibus Italiæ, Plurium, Clavenna, & tota vallis Volturena, quæ communi trium Fœderum imperio reguntur, in his ab aliquot jam annis D. Rheti ecclesias complures constituerunt, & peramanter exulibus Italis, qui Religionis gratia domo pulsati erant, hospitium præbuerunt: verum inter hos quidam*

dam se illuc recepere, qui non obscura indicia Arrianae hæreses de se præbebant, Serveti illius impii Sectatores: Hi abuti humanitate Dominorum Rhetorum, & libertatem gentis ad licentiam profanorum dogmatum alendorum convertere conati sunt: Anabaptistæ quoque cum in his regionibus, tum alibi etiam in Rætia nidum sibi quærere cœpere. Hac re animadversa amplissimus Senatus trium Fœderum, qui non ignoraret quam periculosum esset cum Ecclesiæ tum Reip. homines istos ferre, & illis permittere ut sua dogmata spargant, Edicto promulgato tales finibus suis exulare jussit. Quoniam vero apud Rætos, ut etiam in nonnullis locis Helvetiæ, quædam oppida & pagi Evangelicam Religionem profitentur, alia Romanam seu Catholicam quam vocant fidem sequuntur, interim æquo jure & communibus suffragiis summo consensu Remp. administrant, Edicto hoc mandarunt, ut omnes imperio suo subiecti, vel Curiensis Synodi Confessionis & Statutis, vel fidei Romanæ Ecclesiæ subscribant, atque sic alterutri Ecclesiæ se adjungant. Sibi enim decretum esse Arriana & Anabaptistica, aliaque dogmata, per Ecclesiam Christianam legibus damnata, tollere & eradicare: Itaque si qui inveniuntur, qui damnata hæc dogmata sequantur, eos ex Dominio trium Fœderum perpetuo exulare debere, aut etiam severius pro judicium arbitrio puniendos esse. Quod si aliqui nolint alterutri apud ipsos receptæ Religionis subscribere, tales etiam a Magistratu pro Hæreticis puniendos esse. Et hæc quidem est hujus Edicti Summa. Miras autem hoc Edicto querelas esse commotas & mullitationes multorum, quorum alii id palam ut iniquum accusarent, idem SIMLERUS auctor est. Atque ut Clariss. SCHELHORNIUS Disert. Epistol. f. c. p. 56. per conjecturam elicit; Videtur Edictum illud publico scripto a quodam impugnatum fuisse. Sed nihil

horum me haecenus adipisci potuisse, fateor. Quod quum Virum in his rebus sagacissimum effugerit, docebo hic ipsius SC. LENTULI indicio, quis ille fuerit, qui ausus est publico Scripto hoc Edictum impugnare.

SCIPIO LENTULUS ad Rodolph. GUAITHERUM.
Clavennæ XXII. Febr. MDLXX.

UTinam cum apertis & manifestis inimicis tantum nobis res esset; Sed proh dolor ii contra nos bellum gerunt, quos nobiscum esse oportet, ad oppugnandum Satanam Satanæque ministros, atque id faciunt, dum se veritatem nescio quam propugnare credi volunt. Tu vidisti, quid SYLVIUS blateret contra maxime salutare Dominorum nostrorum Edictum, ac contra optimos Fratres Pastores Rhætos, qui qua sunt pietate, illud a Dominis impetrarunt, nec non contra nos Dominorum subditis in Ministerio servientes, quod optimos illos Fratres nostros diligentissime rogavimus, ut tale quippiam a Dominis nostris conarentur impetrare. Hic homo adeo fuit impudens, ut insulsum, inscitum, ac impium illum suum famosum libellum evulgare non dubitaverit, ita ut multos, qui tamen per se ipsos satis superque erant ad malum incitatissimi, in nos concitaverit, ac si non scelestorum hominum perniciem, sed potius bonorum procurarem. Ego respondi, ita jubentibus bonis piisque Symmystis aliquot, & inter alios D. JULIO MEDIO-LANENSI ac D. PAULO GADIO, quos præ aliis honoris causa nomino, mittoque meam responsionem D. Thobiae nostro, ut ipse una cum D. HUL-

D. HULDRICO CAMPELLO ac D. PONTISEL-
LA Viris piis ac doctis corrigant eam ac emen-
dent ; tandem ad Te mittant , quandoquidem
audax ille non est veritus Scriptum suum ad vos
mittere , ut de utroque iudicium feratis vos , qui
& doctrina & pietate merito estis percelebres , ac
eo modo si quid respondi quod vestram approba-
tionem mereatur , ego possim postea illud magis
tuto majoreque cum fructu in publicum emittere.

Idem ad Eund. Clavennæ 12. Maji. 1574.

QUum observandissimus noster in Christo Frater
D. THOBIAS ICONIUS scripserit ad me ,
se misisse ad te meum Libellum adversus SYL-
VESTRE quoddam scriptum , quod tantopere
cupiebam : meum officium esse agnovi , te qua
debet submissione orare & obsecrare , dignareris ,
succisivis horis , & omnino quum vacaret , illum
percurrere , & severissime primum emendare ,
deinde tua commendatione ornare , si luce di-
gnus tibi esse videretur , & ad testandum in do-
ctrina consensum , & ad conciliandum libro au-
toritatem apud plerosque non malos homines ,
qui hujusmodi rebus maxime permoventur , &
quorum saluti nobis quacunque ratione inservien-
dum est. Ubi igitur hoc officium , imo benefi-
cium singulare , ut omnino a tua Præstantia spe-
ro , præstiteris , non Genevam , sed iterum Cu-
riam ad *Thobiam* nostrum remittes , qui illum mi-
hi curabit , ut tandem de eo decernam.

THOBIAS EGLIUS ad *Rodolph. GUALTHERUM*
d. 19. April. 1574.

SUnt causæ certæ & præclaræ quas propter D.
LENTULUS Responsum suum hoc Libro quod

mitti contentum, Genevam est missurus, forasque daturus. Quia vero Ampliff. D. Patris BULLINGERI iudicio nuper & testimonio id communitum fuit: idem abs te petit LENTULUS, idque meis Literis, quas ad te scribere iussit, cum ipse nunc podagra decumbens lecto sit affixus. Ne vero nescires quid tuo testimonio & iudicio approbare deberes, ideo librum ipsum remittit tibi degustandum. Rogat autem enixe, ne quid ægre feras, quod hoc oneris tibi imponat. Si videbitur Præstantiæ tuæ commendandus aliquo testimonio, cupit ut statim post D. Bullingeri iudicium in chartam huic usui vacuam a te inscribatur. - - - Brevissime luculentissimeque Clariss. D. SIMLERUS post Præfationem suam in Scripta veterum de hujus Libri argumento egit, quæ tamen talia sunt, ut cuilibet satis esse, ad SYLVIVM pudefaciendum possent: Sed persequitur ille rem eandem longius & homini pœnitere nescio, betacea sua tela solide confringit. GANTNERUS nondam discessit, licet metam propositam transilierit. Ego mihi persuadeo, omnia ex composito fieri.

Prodiit autem iste SCIPIONIS LENTULI, quem SYLVIO opposuit, Libellus Genevæ sub hac inscriptione: *Responsio orthodoxa pro Edicto illustrijs. Dominorum trium Fæderum Rheticiæ adversus Hæreticos & alios Ecclesiarum Rheticarum perturbatores promulgata: in qua de Magistratus autoritate & officio in coercendis Hæreticis ex Verbo Dei disputatur.*

* * *

THO.

THOBIAS ICONIUS Literis ad Amplissim. Vi-
rum D. M. HEINRYCHUM BULLINGE-
RUM, *Eccles. Tigur. Antistitem prima-
rium*: datis Cal. Maji. 1570.

Bibliopolam (*) nostrum Senatus urbe excedere
mandavit, nisi intra octiduum Anabaptismi &
Suenckfeldianismi Hæreses abnegarit. Natus est
ei filiulus hisce diebus, quem ut baptizarem roga-
re noluit; tandem venit rogavitque, ut eo modo
baptizarem quo Christus jussit Matth. 28. nim. ad-
ultum & doctrinam fidei intelligentem. (**) Sed
ea re Senatui satis non fecit, coram quem non pu-
duit edicere: *Baptismi nostri ritum se minime Christia-
num agnoscere*. In Suenckfeldianismo multos ha-
ctenus seduxit, ut aperte dicant, *Christum non esse
Creaturam*, plausibilem hanc rationem urgens,
*Creaturam non esse adorandam, Christum esse adoran-
dum*, Ergo *Christum non esse Creaturam*. Talem
hominem summe temerarium & impudicum tulerunt
hactenus, quem D. FABRICIUS & D. PHI-
LIPPUS, nostri prædecessores, publice erroris
convicerunt. Bibliopola autem ad vomitum re-
diit, & Suenckfeldianismum priori errori conjun-
xit, ita pristinum errorem correxit. Uxorem ha-
bet, quæ quadriennii spatio templa nostra nun-
quam ingressa est, & nemo tamen hactenus est re-
pertus, qui eam ad meliorem frugem revocaret.

(*) FRELLUS nomine.

(**) Hactenus OTTIUS in *Annal. Anab.* p. 147.

IDEM. D. 8. Maji. 1570.

Vide OTTII *Annal. Anab.* p. 147. 148. quibus
hæc ex iisdem Literis subjunge;

Multis egi ex quo hic fui cum Collega (GANT-
NERO sc.) & D. PONTISELLA, hominem

nempe illum minime alendum esse: sed hypocrisi sua eos ita hactenus fefellit, ut mihi quoque aliquantisper supersedendum & tacendum fuerit. Egregie autem bonus PONTISELLA nuper in Senatu fuit pudefactus. Nam cum impius ille audisset, me salva functione mea ipsum amplius ferre nolle nec posse, statim accessit D. PONTISELLAM, omnemque obedientiam se præstaturum promisit. PONTISELLÆ ita imposuit, ut non dubitaret illum defendere in Senatu vocatum. Rogatus autem quid de Pædobaptismo sentiret? *Diabolicum & minime Christianum esse aperte fuit ausus dicere.* Tum ex senioribus quidam PONTISELLÆ defensionem ceu mendacem & inconvenientem professioni Bibliopolæ manifeste sugillavit; Hinc commotus bonus Vir, omnem nunc lapidem movet, quo expellatur tandem, qui expulsionem jam pridem meruit. Sæpius etiam animus mihi erat, & Dominorum imperium, congregandi cum ipso, sed sociale mihi defuit auxilium.

IDEM. Eidem d. 15. Maji. 1570.

CUM audiamus Bibliopolam ære *Froschoviano* teneri, curabimus accurate, si quid infortunii in bonis externis pateretur, ne quod damnum accipiat; Nec multum esse sollicitum D. F. necesse est; ita enim avara & omnibus mercibus dedita est Uxor miseri & perditæ hominis, ut si quid æris alieni conflaverint, id facile sint exsoluturi. Nihil autem finaliter cum illo adhuc actum est, propter Pentecostes incumbens festum, quod eis adhuc liberum & quietum esse voluerunt; at per lictores ultimo sunt nuper (*) admoniti, ut sese ad crastinum expediant, nec porro a quoquam conspiciantur,

antur, aut carceres & omnem ignominiam sese subituros. *Lanius*, qui ejusdem miseræ est cum Bibliopola, Anabaptismum jam sæculum fere mordicus professus est, aperte intonat, *se neque conciones nostras auditurum, neque etiam ad imperium Magistratus solum mutaturum: velle se expectare extrema quæque & potius in carceres duci & capite præcidi, quam parere.* Id sine dubio B. quoque animo fovet, & verbis etiam profitetur, *sibi grave non futurum, licet caput dematur, aliud enim in vita æterna longe gloriosius adepturum.* Ita sunt præfracti; Sed nemo illis capitis periculum intendit; ipsi mallent nihil non damni subire, modo pertinacia sua suos confirmant discipulos. Sed hoc scio, nisi castino supplices correctionem vere promittant, & conciones frequentent, exilium velint nolint grave subituros esse.

(*) Nonnulla ex his quæ sequuntur, habet OTTL-
US Annal, Anab. p. 148.

S.

JAM modo hora 9. antemeridiana 19. Maji Anni 1570. ex Curia domum redii; quid autem egerim in Senatu, quin ad te scribam intermittere non potui, licet loquacitas mea tua negotia sancta non parum remoretur. Scripsi nuper de Bibliopola nostro relegando præterito die Martis nisi splendide & vere sese emendaverit. Sed audi quæso quomodo sese patefecerit hypocrita. Comparuit eo ipso die, quo terminus & exitus ei præscriptus fuit, in Ampliss. Senatu, non vero solus, ut hætenus, sed consanguineis & amiculis suis stipatus, qui pro ipso supplices intercesserunt, & ipsius nomine, & ut præ se ferebant mandato & com-

misso etiam , aureos montes sunt polliciti , obe-
 dientiam , conversionem , omniaque Christiani
 hominis officia : sic rati misero homini impuni-
 tatis beneficium impetraturos. Amplifs. D. Cos.
Willius , ut est homo syncerus & prudens in Re-
 ligione , reliquos secedere jussit , ipsum autem B.
 solum in Senatu retinuit , & ejusmodi quæstione
 animum ipsius exploravit : Ex animo ne confite-
 atur Pædobaptismum , quo Ecclesia Christi mul-
 tis jam retro Seculis magna cum pietate usa est ,
 Christianum esse & Christo , Apostolis , eorum-
 que Scriptis consentaneum ? Anne conciones no-
 stras cuperet & vellet more aliorum honeste & be-
 ne de nobis sentiens adire ? Respondit ad primam
 quæstionem : *Se minime necessarium nec Christianum*
Pædobaptismum nostrum agnoscere , sed inter adiaphora
recensere , & liberos primo esse catechizandos , deinde
baptizandos : Sic ipsum ZUINGLIUM olim & docuis-
se & doctrinam oralem literis ac libellis mandasse. Con-
ciones autem nostras lubenter frequentaturum , ubi veri-
tatem dixerimus & protulerimus , nec alienum Scriptu-
ræ sensum affingamus. Consanguinei inconstantia
 hominis pudefacti discesserunt : ipsi vero Biblio-
 polæ exilium decretum est. Tum supplices om-
 nes redierunt , utque exilio moram producerent
 Dominos rogarunt , donec finitis nundinis futuris
 cum omnibus rationem inire posset & inculpate
 discedere. Cum autem ejus rei gratia jam pridem
 fuerit admonitus , & spacium jam sæpius satis
 amplum concessum ei fuerit omnibus satisfacien-
 di , ne ultra hodiernum diem conspicuus nobis
 esset , mandarunt , sed protinus abiret. Ego ve-
 ritus , ne longiorem moram astutiis suis impetra-
 rent , tempusque petatum precibus suis tandem
 recu-

recuperarent, quo in nundinis libellos suos Suenkfeldianis suis solito more divenderet, sicque discordiarum majorum improbus autor esset; statim D. Cos. adii, quidque eo ipso die, de quo dixi, in Senatu actum esset, diligentius cognovi: Rei veritate, ut supra scripsi, comperta, quod scilicet vitam ac doctrinam sanctissimi ZUINGLII odiose perstrinxerit, doctrinam publice in frequenti Senatu, vitam in privatis ædibus, aliis bonis civibus præsentibus, audientibus & ad me referentibus: ocyus rogavi D. Cos. ut copiam mihi daret in Senatu comparendi & ejusmodi convitia omnia diluendi. Tempus etiam jam esse submouui, ut quædam in medium proferam, quæ hactenus silentio præterierim, ex quibus hominem illum seditiosum ceu leonem ex unguibus sint agniture. Data est mihi dies hodierna, ingressus sum, habui Orationem prope per integram horam, ejuscemodi modo: Primo, ut palam illis fieret, quanta fide, quantis sudoribus fortissimus ille Quirites & heroicis virtutibus plenissimus ZUINGLIUS fanaticos ejusmodi spiritus impugnarit, compresserit, ejecerit, neque quicquam commune cum illis erroribus habuerit, quibus obtrektor noster suam impietatem nunc cupiat obtexere: capta benevolentia, originem Catabaptistarum, qui primo cœlestes Prophetæ & Enthusiastæ vocati sunt, ex libro tuo a D. SIMLERO in latinum converso, ita introduxi, ut de ipsorum Patriarcha MUNZERO, cum ex tuo libro absolutissimo, tum etiam ex *Sleidani* Lib. V. principalia, utpote de doctrina, progressu & obitu ejus, multa induxerim, quo coram cernerent fautores ipsius B. qualem exitum tumultuarii isti homines

homines semper nacti fuerint & quam frivolis ac temerariis nugis & seditiosis fundamentis inniterentur. Deinde illius historię occasione, quæ MUNDURI discipulos plures non absterruit a furore, ad multiplicem delapsus sum tractationem, colloquia, & disputationem Tiguri cum furiosis istis hominibus habitam, in quibus omnibus erroris convicti essent miseri isti & insani Sanctuli. Ubi etiam decente servatoque ordine sub doctis præsidibus D. ZUINGLIUS ita se gessisset cum aliis Ministris, ut luculentam victoriam ex omnibus & colloquiis familiaribus & publicis disputationibus reportarint: Id testari acta publice expressa, quæ tamen ego non habeam. In apricum autem protuli Compendiarium & absolutum istum Caipham, qui ad palinodiam D. ZUINGLIUM tam facile erat adacturus. Quid etiam disputationem illam publicam secutum sit non celavi, nempe seria ampliff. Reip. Ediçta contra seditiosos authores; quæ tamen contentiosis Spiritibus adeo non satisfecerint, ut novo monstro HUBMEIERO exorto, Cœlites apparuisse ipsos relicto cœlo crediderint. Quid autem præstiterit Waldshuti homo ille factiosus arrectis auribus omnes cognoverunt. Hinc inde ad (*) arcem Orationis meæ deveni, ut scil. palam nostris facerem, unde Bibliopola hæc sua convicia, quæ in S. Virum evomuit, hauserit. Nempe *Hubmejerum* sæpius & Scriptis & sermonibus jactasse, & Literis etiam ad Ampliff. Senatam Tigur. datis superbe pollicitum esse, se

(*) Ab his verbis quæ sequuntur in compendio nobis dat OTTIUS Hist. Anab. p. 149.

se probaturum Verbo Dei & ipsius ZUINGLII Scriptis Pædobaptismum non legitimum : verum pueros primum docendos & tum demum baptizandos esse. Postquam igitur *Hubmejerus* Waldshuto profugus Tiguri aliquamdiu lateret, & indicio facto in liberam custodiam captus abductus esset, admonitum fuisse a Senatu & Ministris, ut promisso suo nunc satisfaceret : quod quidem ex XVIII. Conclusionem ipsius D. ZUINGLII b. m. annitenti non succedebat, maxime cum quid de Catechumenis dixisset, non dextre interpretabatur : non enim consequi & concludi hinc inde posse Pædobaptismum propterea esse illegitimum. Ex ista autem *Hubmejeri* calumnia fanaticum nostrum similem suam obtrectionem suxisse crediderim : propterea hoc ipsum multis exaggerabam, quanto dedecore gloriationem suam illam thraconicam resorbere coactus fuisset, nec calumnias suas in speciem saltem potuerit defendere : imo obstupefactum prorsus conticuisse, & post fictam & spontaneam palinodiam ad minus fucatam adactum, perfidiæ tandem in Moraviam profectum pœnas dedisse. Cumque istius hominis impudenti inconstantia nihilo meliores facti essent discipuli ejus, Anabaptismum Tiguri an. 1530. capitis etiam supplicio interdictum esse. Judicandum autem Senatui nostro dedi, quanta hæc sit temeritas & impietas, Magistrum mendacia sua, quæ in vulgus & proceres sparsisset, resorbere coactum esse ; discipulum autem ipsius sc. FREL-LUM nostrum, hæc ex inferis revocare & sub nova mendaciorum incude quasi recudere & expolire. Adduxi super hæc omnia libellos quosdam, quos mecum in Senatum attuleram,

de

de Baptismo Anab. & Pædobapt. anno 1525. & Strophas an. 27. &c. omnes ab ipso D. ZWINGLIO scriptos & foras datos, quibus lippis quod ajunt & tonsoribus liquidum esset, quantis vigiliis & curis maceratus esset Vir & Heros ille insuperabilis, antequam Dei gratia illucescente perniciosos istorum furiosorum cœtus perumpere, erronea dogmata refutare & afflictas suas oviculas intra tranquillitatis septa continere & tueri potuerit. Nec quemquam prohum Virum cum veritate diciturum, tantum Anabaptisticæ Lernæ victoriosum Herculem quicquam cum iis erroribus commune habuisse, quos ipse tanta fortitudine & felicitate expugnasset. Hisce autem, pro doctrina ejus odiosissime a nebulone nostro in odium vocata, habitis; ad vitam quoque ejus defendendam me accinxi, non quod existimem D. ZWINGLIUM, virum in toto orbe laudatissimum apud omnes pios, mea defensioncula indigere; Sed quod cogitarem, non æquum esse B. nostrum, conviciis ipsius tolerandis & subticendis, in superbo contemptu confirmari. Aperte enim non semel eblateravit; *Quid nostri sunt Concionatores? Ebrii, adulteri, feneratores, decoctores, bellatores, quemadmodum Doctor vester ZWINGLIUS, qui nihil aliud præter bellatorem egit, & ut miles crudus vitam cum sanguine, ipse sanguinis sitientissimus, finivit.* Ego multis ostendite diverso, D. ZWINGLIO ab initio multa fuisse deglutienda, & Achabum non Heliam perturbatorem extitisse, licet a Rege & aulicis pro tali accusaretur, plura etiam convicia in ipsum congesta esse, sed mera fuisse mendacia, a malevolis, quorum avaritiæ & quæstui ex Tigurinorum reformatione multum decedebat, conficta & disseminata.

Inspi.

Inspiciendam adhuc extare Apologiam ipsius anno 1523. Bernam ad Legatos Helvetios missam 6. Julii: nec minus publice quoque in manibus esse librum tuum Apologeticum in Fablerum Viennensem Episcopum: & D. *Gualtheri* pro *Zuinglio*, Socero suo Apologiam; ut taceam quæ in SLEIDANI vera adducantur Historia, in quibus omnibus meridiana luce clarius sit, quæ causa fuerit infelicis belli nostri *Capellani*, non ipse, ut vulgus vituperat, ZWINGLIUS; sed causas civiles fuisse plures, & seditiones & convicia hostium interclusioni com meatu ansam præbuisse, quam prohibere ZWINGLIUS, licet multis tentasset, non potuerit. Nec ut bellatorem armatum & cædes spirantem in aciem progressum esse, sed pro more patriæ, spe componendi dissidium, ut antea quoque factum erat: Sed Deo aliter statuente, fortiter pro Patria & Religione christiana occubuisse, doctrinamque, quam Tiguri pacate & utiliter professus est, martyrio & sanguine suo constantissime ceu sigillo confirmasse. Eam nunc in tali viro conviciis incessere, & nescio quæ vulnera & quam militiam improbe refricare, profligatæ esse impudentiæ & temeritatis in FRELLO nostro. Hisce & multis aliis omnibus Catalogum eorum earumque subjunxi, quos ipse veneno suo infecit & seduxit. Confessionem etiam vestram, cui Curia Rhet. subscripsit, in memoriam illis revocavi, in qua Leptologus *Suenckfeldius* cum sua subtilitate & argutiis supervacaneis totus exploderetur; nisi contra eam confessionem tueri ac servare velint, nos salva Conscientia illis servire non posse, utpote qui in ea Confessione & vivere & mori constanter, Christo auspice, Deoque suffragante, velimus.

Quodque antea dicendum fuerat, manum etiam FRELLI propriam ostendi, qua omnes nos *Arrianos* nominasse non dubitat, utpote qui Christum *Facturam* esse asseveremus, quasi vero idcirco natura Deum esse abnegemus. Ejus generis uno impetu multa commemoravi, quæ miser homo in contemptum Reip. Ministerii & civilem pacem & honestatem temere & præfracte egisset. Postea vero hortatus sum Senatum, ne pateretur sibi porro imponi & illudi; nec committeret, ut in futuris nundinis libros amplius proponeret venales, sed ipsos una cum Domino ita tractarent, ne quis in posterum veneficio eorum Diaboli faucibus exponeretur. &c. Sicque finem dicendi feci, & e Senatu exivi. Quid autem ad hæc omnia decreverint, ipse D. Cos. postea ore suo mihi retulit: Fuere multi, qui incarcerandum illum arbitrabantur, sed mitior Sententia vicit, ne id fieret, cum alioquin infirmior sit corpore, quam ut vincula possit ferre. Decretum autem est, ut quamprimum Senatus solveretur IV. ex superioribus, inter quos etiam D. PONTISELLA fuit, ordinati, ædes & omnia scrinia *Frellianæ* domus excuterent & scrutarentur: omnisque generis libros quoscunque reconditos aut propositos haberet, in unum fasciculum componerent, inque curiam apportari procurarent: Quod certe magna diligentia factum est, & plurimi Suenkfeldiani libelli jubentibus Polytarchis ad me delati sunt. Dicitur non potest, quam profundus erroneorum libellorum nidus illic repertus sit. Sic puto impeditur facultas spargendi venenum in curiosos & factiosos homines, quorum Rh. nostra plures fortassis fovet, quam Evangelii professoribus conveniat.

niat. Deinde quod ipsum Bibliopolam attinet ; decretum est , ut crastino die mane Polytarcha , more consueto , ipsum extra portas educat , & juramenti (quod tamen nunquam suscipiet) interventu , ex urbe nostra & tota Rhætia relegatur , nec redeat donec revocetur. *Lanio* autem tempus prorogatum est , usque in proximum diem lunæ : quid tum cum illo quoque agatur , fortassis & hisce literis etiam inseram , quas die veneris statim post actionem , ante , exaraveram. Quid actum sit cum *Lanio* , nihil adtinet dicere : Ego enim ipse consului , ut finitis demum nundinis illum adoriantur : idque hac occasione. Bibliopola postquam hoc vesperi olfecit , quid die Sabbati mane cum ipso agendum sit , vesperi ante , sponte discessit , ne cogeretur juramenti formam audire : Sed non longius sese proripuit ; tantum ex urbe in proximum Episcopi castrum , quærens latebras apud Papistas , ut eo odiosius apud inimicos nos possit traducere : Præterea etiam per fautores suos , quos in urbe habet non paucos , rem suam commodius agere & plures seducere. Sed & omnes boni addubitant , ne id consilii ex eo cœperit , quem maxime debebat habere adversum , ex D. Collega nempe meo (GANTNERO) , qui nudius tertius statim post actionem illam publice pro suggestu , & jam quarta vice , fretus suis divitiis , laboris & hominum impœnitentiæ impatiens , officio sese suo , magna Senatus totius displicentia , abdicavit : *Probos* , aiens , *expelli* , *improbos autem nebulones multos intra mœnia foveri ac amanter haberi*. Sed quamvis D. Cos. Pont. conveneramus te hoc vulnere ante tempus non molestare , mentionem tamen ejus

rei cogor apud te facere, propter hæreticum istum, ut eo facilius intelligeres, unde cristas suas sibi sumeret & attolleret. Plura proxime de hoc negotio molestissimo, in quo nihil non hactenus concordiae inter nos alendae gratia, potui devorare. Sed tandem erumpunt & pudefient, qui de vocatione legitima parum sibi sunt conscii. Ubi cognoveram B. nostrum Papistis se conjunxisse, effeci apud Cos. ut ageret cum D. Episcopo, ne pestem illam Senatui odiosam fovere vellet: Insuper ne seditiosuli quidam clamores suos attollerent, monui eundem, ut *Lanii* negotium ad finem nundinarum differrent. Sic puto futurum esse. Summa autem importunitatis Collegae est, se nihil emendationis aut fructus exoriri ex suis concionibus perspicere, propterea agricolae instar acturum, qui semen ejiciat, deinde vero a labore cesset & quiescat, contempleturque, quomodo velit fructificare & exurgere. Mirifica hæc est ratio, & omnibus nobis, meo judicio, fugienda, ne stationem difficili hoc tempore videamur ob opes & mundi beatiorem statum turpiter deseruisse. Sed ut dixi de hoc proxime: Interea videbimus, an in hoc suo proposito sit perrecturus. Nunc satis molestiae humanitati tuæ exhibui, quæso pro ejus incredibili in me benevolentia, ignoscas, tuæque Paternitati me commissum semper habeas. Resalutant te D. Coss. D. Pont. D. G** D. Bonettus, & D. Campellus. Hæc scripsi die 23. Maii, quo dies Synodo nostrae indicta est hic a fratribus, quos expecto. Dominus suo Spiritu nos illuminare dignetur, ne in institutis omnibus ab orbita legis suæ deflectamus,

mus, sed omnia quæ agimus ipsius majestati & nostræ Saluti conducant. Amen.

Tuæ Dominationis submissis.

Th. Eglin. 1570. Curiaë

D. *Ernium* salvere jubeo. Ignosce quæso literis, nam omnia cursim imo festinanter scripsi.)

THOBIAS EGLIUS ad H. BULLINGERUM.

Litteris. d. 5. Jun. 1570.

DE GANTNERO Collega quid actum sit pene prætermiseram. Verum est, jam quater publice officio se suo impudenter abdicavit & functionem resignavit. Sed hactenus semper multis precibus ad suggestum reduci voluit: postrema autem hac vice neque Senatus illum rogare amplius decrevit, sed me vocatum, quid ego ipsis consulerem, explorare voluerunt. Ego me causam quam prætexat suæ inconstantiaë ignorare respondi, propterea certi nihil me posse respondere nec consulere dixi: Paratum autem me fore illum officii sui adhuc semel admonere, & quam causam sic faciundi habeat penitus explorare. Sic elegerunt Polytarcham & PONTISELLAM, qui mecum, remotis precibus tamen, id apud ipsum expediant. Admonuimus hominem: nihil autem aliud prætendit, nisi quod ab omnibus avaritiaë insimularetur & accusaretur, propterea, ne stipendium se accipere avaritia quis putet, se eo potius cariturum, quo omnes videant & re ipsa experiantur, quam suis rebus propriis cupiat esse contentus: deinde pluribus etiam mores hujus mundi taxavit, & quam hoc quadriennio, quo laboraverit in Domini vinea, nihil prorsus effecerit, cessaturum ergo & aliis cessurum, qui for-

lassis uberiores ex hoc officio fructus decerpere
 possint, iis se minime viam & aditum præclusu-
 rum. Summa est, imaginatur sibi more fanati-
 corum quorundam terram novam, in qua nova
 iustitia regnare debeat, & talem perfectionem sibi
 pollicetur, quam nusquam in hac mundi senecta
 inveniet. Mirum autem est, illum eo pervenire
 posse, qui tamen si proprios sinus & pectoris sui
 recessus excuteret, multum imperfectionis per-
 sentisceret. Sed hoc cum aliis etiam Anabaptistis
 habet commune, qui peccata & errores suos non
 agnoscentes, nec videntes quid manticæ a tergo
 sit, aliena peccata semper ob oculos habent. Ego
 non solus, sed plurimi fratres alii, & inter cæ-
 teros D. CAMPELLUS, D. CONCIUS, Viri
 perdocti, id vitii eum ex nimia familiaritate,
 quam cum Bibliopola contraxit, contraxisse exi-
 stimant. Eo enim ipso die cum Senatus decreto
 jurisjurandi Sacramento Seductor ille eliminandus
 & relegandus esset, ipsum Collega convenit in
 ædibus, cum illo contulit, sortem nimirum il-
 lius deploravit, statimque postera die mane, quæ
 fuit dominica, pro Suggestu missionem petens,
 aperte Decreto & S. C. contradixit, quasi homi-
 nes Sanctos ejiciant, & nebulones foveant. Sed
 utut hæc sese habeant, digressi ab illo respon-
 sum sperabamus sedatum postero die: Ecce au-
 tem, cum omnes sibi pollicerentur, modeste se
 responsurum, tandem ex prædio suo per puel-
 lam suam ad me Schedulam mittit, qua affirmat,
 se in suo proposito adhuc persistere & factis de-
 monstrare velle, se nihil ex avaritia hæctenus egis-
 se. Ego responsum D. Cos. exhibui: Senatus
 me rogare, ut de alio Collega mihi asciscendo
 occu-

occupari velim. Ego absque tuo consilio nihil hic faciendum respondi, & cum tres ex Rhoetia nostra praesto fuerint, & inter hos D. CAMPELLUS, qui functionem illam suscepissent, tuo consilio invocato, uter eligendus esset, agere decrevimus. Interim GANTNERUS duas omisit conciones, quas ordine requisito habere debuisset, quas ego in tantis turbis, tanta Fratrum frequentia habere coactus fui. Cum autem videret miser, me in officio tam strenue nihilominus pergere, & forsan ex suis rescivisset, Ecclesiam quoque suam mihi pascendam a Dominis esse commissam, donec aut D. PONTISELLA, aut D. CAMPELLUS, aut alius aliquis tuo suasu a nobis fuisset surrogatus, sponte paucis diebus post ad me venit, & consilium novum agendi a me petiit. Ego respondi, mirabilis es homo, mi GANTNERE, nonne superioribus diebus satis te quid ageres admonuimus, cur non facis tuum officium? Perge &c. Sic sponte sese iterum idoneum fecit, qui privatim agere vitam modo decreverat. Remissum est ei a Dominis; sed videat ne talis porro reperiatur, ego enim illum ferre amplius nollem, sed potius &c. Hæc prolixius quam necesse fuerat ad te perscripsi.

THOB. EGLI ad *Eund.* d. ult. Julii. 1570.

Miror quod D. *Froschouerus* procuratorem suum non miserit, si convaluerit. Metuimus autem ne sibi a Bibliopola [FRELLO], quem Tiguri oberrare percepimus, denuo imponi patiatur. Blandulus & ad inferos usque demissus est homo ille, nec præstabit fidem, etiamsi multa libere polliceatur, modo ad uxorem & liberos, quibus

ægre caret, reverti possit. Locutus est cum quibusdam Mercatoribus nostris Tiguri, se lubenter reversurum, modo Magistratus clementia sua ipsum sit comprehensurus. Sed video quid molia-
tur, cavebo quantum possum, ne pestis vere grandis iterum illabatur; Sæpe emendationem promisit, sed suis promissis nunquam stetit, & protheos instar se in omnes formas potest transfor-
mare, modo feratur, suumque artificium exercere in miseram plebeculam possit. Ego libere prote-
stor, aut me, aut Bibliopolam illum ab hac Eccle-
sia abfuturum.

TH. ICONIUS ad *Eund.* d. 23. Octobr. 1570.

A Gimus gratias tuæ incredibili pro nostra Eccle-
sia curæ & diligentia, cujus Ecclesiam illam
nunquam certe pœnitebit, imo pro illa meritas
gratias, si sapit, habebit. Noluerunt plerique
ex Senatu ante reditum D. D. Cos. ex Comitiiis
Davosianis quicquam agere aut consultare de CAM-
PELLO recipiendo. Immo cum D. Cos. *Willius*
mentionem faceret, fuere qui (*) MARIUM,
BRUN-

(*) Cum hic primum MARIUM fiat mentio, afferam
nonnulla, quæ hominis hujus ingenium patefacere
possunt. Ipse TH. ICONIUS in Epist. ad *Bulling.*
die 24. Jul. 1570. hæc habet: *MARIUS illi fun-*
ctiōni (Mayenfeldæ, quam BRUNNERUS relique-
rat) *insidiatur, qui hæctenus ludum Vitoduranum*
moderatus est: Cur se iterum receperit in Rhoetiam
miror, cum alibi feliciter vivere potuisset. Vereor
ne dyscolus ille multum nobis pariat certaminis &
dissidii

BRUNNERUM alii vellent. Scio autem GANTNERUM incitare quosdam ut MARIUM vocent, non CAMPELLUM, quem non ut debet amat. Sic volunt multa multi, quæ num conducant Ecclesiæ plane non intelligunt, modo affectibus satisfiat, diligenter studentes. Improbe autem intellexit GANTNERUS Senatus Consultum literis consignatum, sicuti exemplum tibi misi manu Cofs. roboratum, statim enim die Martis retulit in Senatu, coactus se excusare, conqueri de multis; se sc. nunquam affectasse functionem iterum recipere, nec se ipsum salutis publicæ præferre, nihil quicquam in Confessionem peccasse, Anabaptistas non fovere nec tueri, neque ita male sentire, modo recte intelligatur. D. PONTI SELLA aperiens os egregie illum pudefecit: Nonne GANTNERE hæc & hæc de jurejurando dixisti? Affirmavit. R. Cur ergo te vis contra excusare?

T t 5

cusare?

dissidii, habet enim caput & ingenium mirificum. Et in alia Epist ult. Jul. 1570. data: MARIUS antiquum suum obtinebit semper. . . . Nunquam dignatus est me alloqui, ægre fert se Civem Curiensem & longe ceteris doctiorem, imo absolutum omnibus, ut putat, numeris, a peregrino in sua patria præoccupari. Iniiit nunc Sacerdotium tenuissimum in valle Rhetica sive Prættica, privata potestate, neminem consulens, utpote qui neque Ministri ac Synodi curam habere debeat, cum literas, (ut dicunt) habeat antiquiores in hisce partibus. Indigeret Rhetia nostra multis Viris doctis, sed non Momis, οἱ ὡς κανὼν γένος καὶ σφόδρα ἐπιμώμητον ἐργῶν, Ἰουμὸν δὲ ἀνδιχα δεῖ ἔχσων, ut canit Ascræus.

excusare? D. Cos. videns insaniam hominis, brevibus illi respondit: GANTNERE, tu ipse in culpa es, neminem quaeso culpes &c. Tandem culpam in se recipiens GANTNERUS petiit stipendii solutionem, & adjecit, *Is qui me vobis tradidit, majus habet peccatum.* Nunc multi sunt ex Senatoribus qui restitutum post hæc omnia cupiunt hominem.

S.

HAud immerito & negligentiae & ingratitude me condemnares, colendiss. Domine, qui tantam scribendi faciam intercapedinem, nisi me sexcenta quibus simul adobruor admodum excusarent. Scis tu peroptime quibus mercatus tempore distineamur; accurrunt ex agro Pastores undique: fatigant etiam me plures alii; crescit etiam concionum numerus, praesertim hoc tempore, quo fido Collega adhuc careo, nec dum quid futurum sit plane scio. Pergit GANTNERUS in hoc suo Dogmate & levissima opinione, *ad fidem veram neminem esse coherendum*, ad cujus stabilimentum plurimis Scripturae locis abutitur, unde non parvam Hæretici suspensionem jampridem sustinere coepit. Recusat medicinam a Dominis praescriptam, nec cessat tamen se insontem esse omnibus persuadere, & quomodo vi quadam restituatur laborare. Conatus est plures ex agro adventantes fratres in suas partes pertrahere; multum apud ipsos de me conqueri, omnem culpam in me conjicere, quasi omnis mali scaturiginem & primum authorem hujus dissidii: Quod autem qualis qualis sit nunquam probabit homo semissis & levissimus. Nihil non audet effutire & blaterare
nunc,

nunc, modo civium odium mihi conciliet; Sed solatur me bonorum Virorum constantia & prudentia, qui quomodo hoc veneni exortum sit & quibus modis auctum, haud ignorant. Perinde accidit GANTNERO sicut avibus visco agglutinatis, quæ quo magis extricare se moluntur, tanto vehementius irretiuntur & intricantur. Delatum se conqueritur apud tuam præstantiam & omnes Rhœtiæ Fratres, quasi vero meum fuerit prodere Ecclesiam & veritatem. Rejectum est negotium a Senatu in finem nundinarum, quæ nunc præteriere: Sed ne nunc quidem absolutum, eo quod præfectus exspectatur Vallis Rheticæ, cujus opera - - mum MARIUM, quem timemus, impediamus. Brevi finietur, certique quiddam statuetur: & quidem ita omnino erit necesse, siquidem Natales Servatoris nostri appropinquant, neque ego tantis laboribus exantlandis solus ac diutius sufficiens ero. Gratissimum autem fecisti, qui D. BEZÆ doctissimum librum mihi accomodaveris: Oro autem suppliciter ne grave tibi sit, si aliquandiu usus eo fuero: hactenus vix licuit inspicere; cum singulis fere diebus concionandum mihi sit. Ac ubi ubi potero bene custoditum & mundum (ubi perlegero) remittam. Colligam ex eo argumenta omnia, & ex aliis quoque quæ potero congeram plura, quibus instructus tela betalea, quæ GANTNERUS ex *Sebastiano Franco* obiicit, fortissime retundam & eludam. Sumit secum in Senatum Wördensem illum *Francum* & multos alios quodlibetarios, quibus errorem suum Epicureismo aditum præstruentem defendere conatus est. Nimis autem temere *Francus* ille judicare videtur de re tanta, male nimirum collectis quo-

quorundam doctorum Virorum judiciis. Perstrin-
git vero oblique aut Bernenses (sicuti ex Libro
tuo contra Anabapt. videre licet) aut Tigurinos,
quasi retrogrado cursu in Mosaicum ergastulum
relabantur, qui libertate evangelica errorem su-
um tueri non possint. Conatus est etiam se de-
fendere ex Tigur. Confessione GANTNERUS,
adducens locum Matth. XII. de lolio non evel-
lendo fol. 54. b. lin. 8. Sed & hunc locum sini-
stre & malevole adduxit: Cum id animi & sensus
minime habeat, certa conditione minime omis-
sa. &c. Utinam GANTNERUS se in pristinum
munus non possit ingerere, & D. CAMPELLUS
locum obtineat. Hæc ocyssime scribere & bre-
viter volui quo scire possis in quo statu nunc res
sient; alias copiosius omnia. Valeat Amplitudo
tua & salva sit æternum. 1570. 27. Nov. Curia.
Salutaris a D. Cos. D. Pont. D. Bonetto. Mitto si-
mul literas D. Campelli pro salute.

T. Amplitudinis
submissis.

Th. Ic.

S.

NUper Reverentiæ tuæ, Vir amplissime! causas
ostendi prorogationis nostri hujus negotii;
Quia vero natalitia Christi accelerant, neque ego
tot laboribus porro sustinendis sufficiens, neve me-
dium, quo utendum censebamus remoraretur,
ingressus sum Senatam Ampliss. 1. Decembris cum
ex majoribus & minoribus confluxisset; Hortatus
sum, ut Collegam mihi [liquidem Ecclesiæ cura
etiam Magistratui 3. Reg. 2. incumbere debeat]
fidum, pacificum & sanum, constantemque mihi
adjun.

adjungant; requirere hoc tempus præsens periculofum, quo minime conveniat oves suo certo pastore privari; Breviter simul iteravi absurditatem opinionis illius, *neminem ad bonum adigendum esse*, ostendens, qualis fructus tandem hinc inde nasceretur. Mox egressus ubi essem revocarunt, & quem ipsis consulam & suadeam rogarunt. Respondi BRUNNERUS reliquit Rhoetiam. &c. Nemo præterea meo judicio erit, qui hoc munus melius executurus sit, præter unicum CAMPPELLUM; idque me sine affectibus privatis, conscientiae & salutis etiam meae testari testimonio. Quid factum? Quidam expectandum censuerunt, donec se GANTNERUS in *generali Synodo* emendaret, ubi de Controversia disputandum foret. Hos summus & novus Tribunus, homo integer & facundus excepit; Quid? num fidem nostram jam pridem a majoribus nostris ex S. Literis defensam & obtentam iterum disputabimus? novisque & dubiis quæstionibus subjiciemus? Num GANTNERUS solus repertus est, qui tenebras in tanta luce discussit? absit. Cogitate vos, quam utile & decorum id vobis sit futurum, si vestram Religionem in dubium vocetis novis disputationibus, cujus professionem Majores nostri tanto periculo tantaque diligentia sunt secuti. Sic autem a me fuit institutus. Hinc desierunt de GANTNERO aliquid porro proferre. Placuit contra omnibus novum Ministrum eligere. Ubi GANTNERUS, si ipse excideret, fautoribus suis anxie instillavit, ut MARIUM pro CAMPPELLO odioso Ingaddinense eligerent; Sciens qualis esset MARIUS, cujusque capitis, nempe heteroclitici, cujus gratia sæpissime ipsum coram omnibus diffamavit, ut

ali-

aliquando, si ipse rursus deponeretur, regressum in istam Ecclesiam haberet, sicque nulla unquam pax Ecclesiae afflictæ affulgeret. Et certe hæc persuasio apud plures alicujus fuit ponderis; Nam totus Senatus ob duos istos plane fuit divisus, & parum abfuisse, quin MARIUS electus fuisset præter omnem expectationem; ita multi sunt qui non salutem, sed destructionem hujus Ecclesiae (quod solum apud te dixerim) unice quæerunt. Habuit a suis partibus MARIUS 13. CAMPELLUS autem 15. ex quibus totus Conventus constabat. Sic albus D. CAMPELLO fuit lapillus, qui ad Christi natalicia per Senatus literas evocabitur. Nunc mirifice insaniunt quidam, Civem GANTNERUM ita esse degradatum, ut dicant, & nisi CAMPELLUS omnibus rusticis placeat, fore ut rejiciatur; imo & monstra alunt quidam, quibus artibus me deponant, quod proditorem & canem mutum me non præbuerim. Sed faciant quod possunt, si culpa mea aliquid & peccatum reppererint dimissione dignum. Dominus Deus O. M. hostium suorum animos contumaces & feroces spiritus frangat, adque sui nominis honestatem clementer Spiritu suo convertat. Amen. Habes Clarissime D. hujus Tragœdiæ felicem admodum exitum, nisi quod homines veritatis & pacis parum amantes quiescere non possunt, & quotidie novi & pravi aliquid moliantur in eos qui causis justis plus cæteris favent. Neque dubitandum est, GANTNERUM fictum consortii nostri membrum futurum, & de vindicta, ubi potis erit, cogitaturum semper; maxime quod interdictum sit ei concionandi officium etiam apud pagicos. Quod cum nuper contra Magistratus auctoritatem nihilo fecius

secius in pago quodam urbi proximo persequi
 vellet, utpote qui Deo plus debeat, quam Ma-
 gistratui, ut loquitur, denuo a Domino Rheti-
 ense prohibitum fuit. Sic vere arrogans & subdo-
 lum pectus scrobem fraudulentam sibi ipsi fodit.
 Quid postea sit secuturum, si D. CAMPELLUS
 sacerdotium novum inierit, scribam alias; parum
 enim gratus & jucundus pluribus advolabit. Hæc
 ad te ocysime, Reverendissime D. Pater, ut quid
 rei sit, cognoveris. 4. Decemb. 1570. Curia.
 T. D. Submissi. TH. ICONIUS. Salutant tuam
 Reverentiam ambo D. D. Coss. D. *Pontifella*, &
 omnes boni. Salvus sit inter reliquos vestros &
Ernius.

S.

OMnes tuas (ut puto) accepi, Reverendiss. Pa-
 ter, nec quicquam peccatum esse arbitror,
 nisi quod tardius fere, non sine certis causis, af-
 feruntur. Gratulatus sum hoc novum Sacerdo-
 tium D. CAMPELLO tuo nomine, qui nuper
 per Dominorum vocationem attractus, specimen
 exhibuit sui muneris. Ingentes humanitati tuæ
 gratias agit, salutemque omnibus numeris absolu-
 tam tibi imprecatur. Solus autem advenit, quod
 uxor partui sit vicina, quam post puerperium, si
 Dominus nobis arriserit, demum una cum liberis
 & suppellectili adducet. Placuit prima ipsius
 Concio paucis, multisque ludibrio habetur; non
 quod in hac arte sit rudis, impolitus, & infelix;
 sed quod Gantneriani indefesse cogitent de vindi-
 cta, & doctis (licet delicatioribus nihil sapiat)
 concionibus abutantur, ad explendos invidiæ suæ
 stimulos & rancores. Et quidem facile mihi per-
 suadeo,

suadeo, plures ex eo numero, qui Anabaptistas impune ferendos clamitarent, esse, qui simplicium animis se mirifice insinuantes, vociferentur; Videtis ne quam dispar & iniqua hæc sit mutatio? Nisi Deus singulariter bonorum animos corroboret, artesque clandestinas malevolorum retundat, nescio quid tandem futurum post hæc omnia fiet. Ego quidem non mei gratia, sed potius Ecclesiæ optarem, Virum istum hæerere posse. Sed si considero quam tenuiter a nonnullis exceptus & salutatatus sit, animi excrucior. Faxit Dominus, qui hominum corda regit, nostraque consilia gubernat, ut omnia, quæ in hac nostra controversia evenere, felicissime & solide exeant. &c. &c. Ocyssime. Curia. 1570. 19. Dec. noctu.

S.

AGo Dominationi tuæ præstantissimæ & communi, imo paternæ sollicitudini pro nostris Ecclesiis perennes gratias, quod auctor ac suasor fueris D. GUALTHERO, ut causam, quam hæctenus apud Rhætos tractavi, tam fideliter & doctè explanaverit. Multum hinc institutionis in nostros redundabit rusticos, qui præter patriam libertatem ex Evangelio quoque Academicam quandam licentiam cupiunt venari. Consternabit liber ille multorum cristas & spiritus animosque insolentes. Et miror quo judicio GANTNERUS, qui indies magis magisque delirat, hanc medicinam sit accepturus. Domi ille latitat, & libellis venenatis infudat, ex quibus centones omnis generis confuit, quibus me in futura *Synodo* obruat. Vereor ne quam turpissime se sit daturus, siquidem zizaniam uberrime spargit, nec evelli debere adhuc contendit.

dit. Si vult esse adversarius, non multum mihi; sed plus Ecclesiis oberit, siquidem auctor erit sub incudem revocandi opiniones istas, quas ipsi etiam Papistæ intactas relinquunt; unde maxima scandala & pericula oboriri necesse est, maxime in tanta ingeniorum, ut sit in Rhœtia, varietate. Mallem hæc omnia profundissime sepulta essent & e memoria hominum evulsa, & GANTNERO breviter responderetur, nisi vellet se nobis in pace adjungere, & omnino nobiscum sentire, sit exclusus & depositus, nos nolle tempus ejusmodi disputatiunculis contererere, & insolitis istis quæstionibus aliis errandi & male cogitandi fenestram patefacere. . . . D. CAMPELLUS electus & confirmatus est, consecutus idem GANTNERI stipendium nullo negotio; Nunc eum repudiare amplius non possunt, licet morosuli illi conciones ipsius non probent, quibus ne Christus quidem ipse satisfaceret. Librum tuum adhuc retineo & peto veniam, cum te non fugiat quid laboris mihi soli incumbat, cum jam longum tempus Collega caruerim, nec dum præsto sit *Campellus*, sed intra mensis unius spatium demum advolabit. Ocyssime. Curia. 1571. 8. Januarii.

T. D. Subjectiff. TH. IConius.

S.

INfinitis negotiis te distrahi, Reverendiff. D. facile credo, maxime hoc tempore quo omnia plena sunt malis, quibus ex Dei verbo medicinam afferri oportet. Quod me attinet, video mihi hærendum, quamvis, omnibus fortunæ telis expositus, an hæere possim ignorem; Angulus aliquis sufficeret mihi alibi, qui huic Ecclesiæ cum veri-

tatis nuncio tanto sim oneri. Expectabo ex tuo hoc consilio ejectionem, nolim autem ejusmodi catastrophem ejectionis, qualem annos 12. maximo meo meorumque malo non leviter sensi. . . .

GANTNERUS cum D. *Campello* collocutus perstat in sua sententia, & juramentum in N. T. non præcipi dicit, neque conscientiam ejus rei gravitate afflictam compellendam esse. Extenuat autem nunc culpam suam, & purgatis omnibus omnia in me unum transferre enixe laborat. Affirmat se non negare, *Magistratui nihil in Hæreticos esse juris, si eruperint in seditiones*: FRELUM autem seditionem nullam adhuc concitasse, propterea non ea via incedendum cum illo fuisse. Mavult ignem & incendium sentire, quam præcavere. Quid autem simili in negotio Itali quidam moliantur, ex literis & responso SYLVIO homini irrequieto a D. LENTULO dato, abunde cognoscetis. Ne autem rixosi isti clamatores GANTNERO manus & operas suas conferrent, impetravimus a Dominis trium Fœderum, ut per Commissarios (inter quos D. *Willius* etiam unus est,) qui nunc sunt in itinere & rationes in Valle Telina conficiunt, omnes *Arriani* qui manifesti sunt, una cum SYLVIO, qui Decretum Dominorum pacificum improbe scripto exagitare ausus est, sine ulla excusatione ejiciantur; ita tamen negotium attemperavimus, ne isthæc reformatio piis ministris (utpote PAULO GADIO &c. qui vos humanissime salutant) fraudi & damno esse possit. Nescio tamen quid judicare satis possim ex effectis istis, qui excommunicationem Italicorum comitantur, maxime cum post funera etiam Fratrum animi ex ea exacerbentur. Expectabo quid vos de hoc casu

su

su & obitu istius, cujus D. LENTULUS in literis suis mentionem facit, judicetis. Gratissimum autem mihi feceris si libellum istum germanicum descriptum mihi miseris, quo juver ex eo contra dogma hoc impium, sicut ex D. quoque *Bezæ* libro quotidie sapere disco, quem (utinam cum pace tua) remittere tibi vix possum adhuc; mundum autem restituum quamprimum facultas erit. &c. Curia. 1571. 5. Martii.

TH. IConius.

Idem ad Eundem BULLINGERUM d. 20. Martii.

1571.

GANTNERUS noster doctum & pium Fratrem JOANNEM GERUM, qui vallem Schanui-
cam verbo rexit, artibus suis expulit, seque in istas Ecclesias ingessit, quibus antea, antequam Curiam veniret, praefuit. Obtulit rusticis suam operam, cum tamen bene sciret locum istum non vacare; nunc sese excusare sub hoc praetextu nititur, quasi Rustici, non ipse, hoc fecerint. Sic multa simul concurrunt, quae hominis impudentiam suo tempore prodent.

S.

SCripsi nuper perbreves, Reverendiss. D. & prolixiores promisi, quas nunc tamen, rebus aliis multis praepeditus praestare non possum. Rever-
sus est ampliss. Vir D. *Willius* ex Italia, & postquam domi repperit & tuas lucubrationes dono missas, & D. *Rod. GUALTHERI* literas, utrique maximas gratias egit, & de referendo beneficio cogitaturum anxie promisit. D. Commissarii, quibus hoc negotii a nobis datum fuit, ut in *Serve-*

Janos & *Arianos* nebulones, quos infelix Italia sive Vallis Telina fovet, accuratius animadverterent, unum tantum ejecerunt nomine CHRISTOPHERUM, qui Sondrii Ludimagistrum egit, hominem quidem summe, sed perverse doctum, Arianum sive Servetanum, & nescio quibus aliis monstris personatum & horrendum, qui frontis expers coram D. Commissariis Trinitatem verendam blasphemaverit dixeritque, *wie könt ein alter Esel einem jungen, so er geböhren hat, in allweg gleich syn?* &c. Horret animus, cui hæc tam atrocia subeunt. Ejectus ille est nebulo, qui severius aliquid commeruerat. Cæteri omnes una cum SYLVIO multis se excusare sunt conati, & propterea impetrarunt a D. Commissariis ut in futura Synodo nostra compareant, se nobis nostræque confessioni subscribant & jungant; nisi hoc fecerint, latam in ipsos etiam Sententiam exilii sc. subeant. Quid autem non audent distorta Italorum ingenia? Non semel & SYLVIVS subscripsit confessioni nostræ, modo securus esse possit: postea hæreses & pestes suas aliis affricare non dubitavit. Rectius meo iudicio D. Commissarii egissent, si quos propria turpitudine convicisset, exilio mulcassent. Sed auro splendente nulla pollet oratio: Et quis resisteret tot Sanctis? olim corruptus quidam dicebat. Nimirum Synodus proxima plena contentionis erit. Deus faxit, ut bene erumpat! Ocyssime 1571. 24. Aprilis.

Tuæ Dominationis

Subjectis. TH. IConius.

S.

Misi nuper nescio quas commendatitias, quibus tamen ille quem te conventurum existima-
bam

ham non responderat. Certiorem etiam te feci quam immodeste GANTNERUS & MARIUS sese gererent. Convenit ex eo tempore, quo Synodus dilapsa est, suæ factionis homines in Valle Telina MARIUS, & salutato TURIANO nescio quid monstri alere videntur. GANTNERUS vocatus & rogatus in Senatu, num cedere vellet victus, & subscriptionem manu propria factam confirmare, negavit, & potius omnibus renunciaturum dixit, quam nostræ esse Sententiæ: idcirco a Senatu civitate privatus est: nunc rostra crepat, & concursans querulus, omnem movet lapidem, ut populi favore tutus sit. Hisce vale colendissime D. Pater. de cæteris alias; nunc morbus uxoris gravis vocat alio. Ocyllime 1571, 14. Aug.

T. D.

Subjectis.

TH. IConius.

T A N T U M. H A C T E N U S.



U 3

NOVA